NICOLAI FIERBERTI, OXONIENSIS IN ANGLIA ACADEMIAE DESCRIPTIO.

Ad perilluſtrem & Reuerendiſs. D.

D. BERNARDINVM PAVLINVM

S. D. N. CLEMENTIS VIII. DATARIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, Apud Guglielmum Facciottum. 1602.

SVPERIORVM PERMISSV.

ANTIQVI POETAE DE ANGLIA EPIGRAMMA.

ANglia terra ferax, tibi pax ſecura quietem,
Multiplicem luxum merx opulenta dedit.
Tu nimio nec ſtricta gelu, nec ſydere feruens,
Clementi cœlo, temperieque places.
Cum pareret natura parens, varioq; fauore
Diuideret dotes omnibus vna locis:
Sepoſuit potiora tibi, matremque profeſſa,
Inſula ſis felix, plenaq; pacis, ait;
Quidquid amat luxus, quicquid deſiderat vſus,
Ex te proueniet, aut aliunde tibi.

Perilluſtri & Reuerendiſs. D.

BERNARDINO PAVLINO

S. D. N. DATARIO.

NICOLAVS FIERBERTVS S.

QVAM vellem equidem (Bernardine Ampliſsime) vt qualem tu in me humanitatem, in populares meos charitatem, in egenos omnes notos & alienos, beneuolentiæ ſingularis ſignificationem libenter ſoles oſtendere; talem ego in te officij debiti, obſeruantiæ ſūmæ, gratiq; animi mei teſtimonium poſſem exhibere. Eſſet hoc ſanè cùm tua be-

neficentiæ debitum, tùm ad animi mei conſolationem apprimè accommodatum. Veruntamen, cùm eam tibi facultatem Dei præpotentis bonitas, Pontificis optimi benignitas, & virtus tua inprimis probata & cognita conciliauit, vt multa multis, & benè velle, & benè facere valeas: mihi verò, & proprij caſus, & communis temporis calamitas poteſtatem omnem benè merendi abſtulit; quid tandem eſt reliquum? ſolent debitores inopes, at non improbi, aſtrictam ſuam fidem, quam præſenti nequeunt pecunia, aut verſura, aut venditione, aut alia aliqua via liberare, & ego, à fortunæ bonis egentiſsimus nonne hoc ſolo, qui mihi ſupereſt, ingenij induſtriæque meæ cuiuſquemodi fructu, tibi, vt poſsim, ſatisfa-

tisfaciam? Iniquus certè in te, & in me eſſem, ni id facerem: quandoquidem partus iſte, qualiſcunque demum à me editus, ita tibi debetur, vt ſine iniuria alteri offerri nec poſsit, nec debeat. Nam niſi ſæpè & ſeriò de Angliæ rebus academijſque exquirendo, tu mihi animum ad hunc conatum addidiſſes, hercle vix vnquam in tantâ mei ingenij ſterilitate fætus iſte extitiſſet. Qui quidem, quando nunc te non ſolùm authorem agnoſcit ſuum, ſed etiam fautorem defenſoremque poſcit, & veneratur; non eum, vti ſpero, tua humanitas reijciet ſe offerentem, quem beneuolè adeò cupidèque perqueſierit non adhuc exiſtentem: Quinimò licet paruulum valdè & humilem ita amplectetur, fouebit, tuebi-

 tur;

*tur; vt noſtrorum vterque, ille vide-
licet de tanto autore, ego verò de tali
patrono immortaliter, & perpetuò gau
deamus. Vale.*

OXONIENSIS ACADEMIAE DESCRIPTIO.

BRITANNIA eſt Inſula omnium,quas antiqui nouerant, celeberrima & maxima. patet enim in circuitu ad mille octingenta & amplius millia paſſuum. Oceano vndiq; circumfuſo ab Europæ continente non longo interuallo ſecernitur. Formam quodammodò triquetram intuentibus obijcit : nam in oblongæ ſcutulæ, vt cùm tacito dicamus; vel in ocreæ fortè rectiùs, ſi vniuerſæ Inſulæ ſitum picturamq; intueamur ; quaſi ſimilitudinem

Angl… breuiter deſcribitur.

exiens, in tres, licet diſpares, angulos deſinere videtur. Horum vnus, qui ad Galliam, & orientem vergit ſolem, in Cantio finem habet. Alter, reſpiciens occidentem, extrema Cornuualliæ regione terminatur. Tertius, ad ſeptemtrionem ſpectans, vſque ad vltimos Scotiæ fines extenditur. Atque hic quidem angulus latior, & productior, quiq; ſummæ poteſt ocreæ non malè aſsimilari, ſuperiori parte ſua Regnum Scoticum; hinc ad Orientem oceanumq; Germanicum flumine Tueda, illinc ad Occidentem & Hiberniam verſus, Eſca & Kerſop fluminibus, in medio verò aſperis montibus diuiſum, conſtituit. Alij duo anguli ſimul cum reliqua Inſula, velut in tibiam pedemq, craſsiorem porrecti; maior fere duplo, multòq; feracior Inſulæ pars, ad Angliæ Regnum pertinent. An. 802. Nam Anglię nomen ab Egbrico Anglo-ſaxone, poſtquam maiorem Inſulæ partem ſuæ poteſtati ſubieciſſet, Britannia accepit. Mare genere omni piſcium abundat; quòdque vndique portuoſum ac naui-

ac nauigationi, mercaturiſq; faciendis aptum, ideo fit, vt Angli re nautica maxime delectentur, & excellant. Solum ipſum multis olim in locis vineis abundabat; nunc vite, niſi vmbræ & delectationis gratia, (rarò enim neglecta matureſcit) penitus caret; olea itidem & ſimilibus, quæ ſunt regionibus calidis & magis tranquillis propria. Sed cuprum, ferrum, carbonem foſsilem, pomum, fruges, lanam, plumbum ſeu nigrum illud, ſeu album, quod ſtannum appellatur, largè miniſtrat. Alit præterea armentorum, & reliqui pecoris greges copioſiſſimos, præter mulum, lupum, bubalum. Cœli, etſi ventis imbribuſq; obnoxij, nulla tamen grauitas eſt. Fulmina, ac terræ motus rari. Aer quàm in Gallia temperatior, remiſſione tum frigoris, tum caloris. Hordeo decocto pro potu gens vtitur; Birram ſiue Ceruiſiam vocant: vino tantùm ditiores; eoq; ex Germania, Gallia, Hiſpania, Creta copiosè importato: Lacte, caſeo, carne

populariter victitant. carnē enim cuiuſcunq; generis nec ſapore gratiore, nec maiori copia vſpiam ferè reperies. Habitatur Anglia frequentiſsimè, coliturq; paſsim vrbibus, pagis, villis pulcherrimis; eam inprimis ob cauſam, quòd Principes ipſi, & genere inſignes viri partim veteri conſuetudine, partim vitæ tū otioſæ fuga, tum liberæ delectatione capti, domicilia ſua non intra ciuitatum ſepta, ſed ſparſim in amænisſimis quibuſq; locis collocant: in quibus bellè ædificatis non minùs laxè & commodè, quàm magnificè habitant. Etenim hoſpitales ipſi, atq; in cultu, victuque ſumptuoſi; vt humanitate, ſic etiam comitatus victuſq; ſplendore inter ſe contendunt; quòd pręcipuam in hoc ſuæ domus familiæque gloriam repoſitam arbitrentur: qua propter & famulorum, quos ſuſtentant, ſatis magnus eſt, pro cuiuſuis conditione, numerus; & ſingulorum domus cùm pateant ſemper, & omnibus, in hoſpicij iure notum ab ignoto, veteri inſtituto, non diſtinguunt. Venatio-

nationibus autem quia ſummoperè capiuntur, ideo non tantùm canes omnis generis venaticos quamplurimos alunt; ſed etiam plura habent Angli ſoli & publica, & priuata ſeptis incluſa Ceruorũ, Damarum, leporumq; viuaria, quàm per reliquam Europam alij omnes. Libertas autem viuendi etiamſi ea in Anglia ſit, vt in publica, & quotidiana vitę conſuetudine non multò liberius viri inter ſe, quàm cum mulieribus verſentur, tamen aut ea eſt liberæ conſuetudinis vis, aut tantus in pleriſque innatus vel fàmæ pudor, vel pudicitiæ amor, vt fœminę notitiam ante nuptias habere in turpiſsimis reputetur. Ipſa verò gens vniuersè eſt corporis habitudine ad formam ac dignitatem ſatis apta & decora; animo excelſo & alacri; pectore aperto fidoque, ingenio ſanè vehementi, & in quam partem ſeſe dat cõſtanti ac peracri: Atque vt mente eſt in Deum religioſa, in homines fideli, natura denique libera, humana, atque (ſi quis rectè & commodè tractet) etiam perſa-

perfacili, ita impatiens eſt iniurię, neſciaque vim, aut ſeruitutem pati. quare ſic Tacitus, qui multis ante nos ſæculis hæc ipſa animaduerterit, Britanni iniuncta imperij munera impigre obeunt, ſi iniuriæ abſint, has ægrè tolerant, iam domiti vt pareant, nondum vt ſeruiant.

In vita Aglicolæ.

Diuiditur omnino Anglia in quinquaginta vnum comitatus, ſiue Prouincias. quorum medium locum tanquam vmbilicum obtinet comitatus Oxonienſis, eiuſque caput Oxonia ciuitas, quæ percelebri illi, totiq; Chriſtiano orbi notiſſimæ Academiæ nomẽ indidit: de qua nunc mihi deliberatũ eſt ac cõſtitutum, pauca aliqua hoc loco vt multorũ deſiderijs ſatisfaciam, in medium adducere.

Comitatus habere ſi.

Sunt enim in Anglia præcipui nominis Academiæ duæ, Oxonia, & Cantabrigia. Has inter vt locorum non magna, ſic morum ſtudiorumq; eſt parua diſtantia. Quamuis enim Cantabrigiam Oxonia ſuperet pulchritudine ædificiorum, Collegiorum multitudine, ſitus lociq;

Academia in Anglia duæ.

ſociq; natura cùm iucunda ad aſpectum, tum ad vitam ſalutari; tamen ſcholaſticorum numero, & exercitationibus, victus veſtituſq; ratione, modo denique diſcendi docendiq; tã propè videtur ad Oxoniã Cantabrigia accedere, vt quàm pauca obſtent, quò minùs hæc conferri inter ſe vſquequaque poſsint; tam multa faciunt, præclara in vtraq; & ſingularia, vt cum alijs, quæ nunc vſpiam ſunt, Academijs comparatæ, vel ſuperiores omnibus, vel nulli certe inferiores reperiantur. Quid enim? Originem quæris? antiquiſsimæ ſunt. Famam & ſplendorem nominis? nobiliſsimę ſunt. diſciplinam? præſtantiſsima eſt. Fructus? tanti tamq; vberes ſunt, ſemperq; fuerunt; vt auſim dicere, nec plures, nec magis memorabiles viros ex vlla alia Academia aliquando prodijſse. Ac ne quis fortè hoc à me temerè & inconſultius dictum exiſtimet, Oxonienſis Academiæ formam, ac ſtudiorum modum primùm ponã ob oculos: deindè præcipuos quoſdam eius magiſtratus ſummatim compre-

prehendam: tertio loco ex innumerabilibus penè, qui ingenij, doctrinæ, zeliq; laude in ea floruerunt, paucos aliquot; ſed notiſsimos, in medio ſiſtam: vt illi, qui hæc peranguſtè licet, propalam tamen collocata intuebuntur; ipſi planè videāt atq; cognoſcant, orationē meam veritati, quā vanitati eſſe coniūctiorē. Verùm hęc pauca prius referre de harū Academiarum origine & antiquitate, non erit fortè omnibus ingratum.

...eda lib. ...r. c. 2. ...ilius in ...ron. ...ādemus ...deſcrip: ...nglia.

Sunt qui tradiderunt ortum naſcentis Academiæ Oxonienſis ad proximū poſt euictam Troiam ſeculum, & ad Mempricium neſcio quem regem, & authorem poſſe referri: Cantabrigiam autem à Cātabro rege fuiſse fundatam; qui annis ante Chriſtum natum ccclxxv. ex Hiſpania expulſus, & humaniſsimè in Britannia acceptus, illam, in clarum ac perpetuum grati animi, nominiſq; ſui monumentum, conuocatis ex Gręcia literarum profeſſoribus, Muſis ipſis conſecrauit. Quæ quidem ſententia etſi vix credibilis quibuſdam videatur, noſtri ta-

men

men non eſt eam aut refellere, aut confirmare. Atque vtcumque ea quidem ſe habeat; hoc ſanè, quod adiungunt, eſt valdè probabile; Inſequentes ętates afflictas illas, & grauiſſimis & continentibus Romanorum, Danorum, ſaxonumq; bellis perturbatiſſimas, ita rem omnem literariam; pacis tãtùm ocijq; comitem; in Britannia euertiſſe, vt ex Academijs etiam iſtis vel omnino, vel maxima ex parte eandem deturbauerit. Ac licet illa quidem denuò, in Cantabrigia verò ſub Sigesberto anno Domini 630. in Oxonia poſteà ſub Alfredo anno 886 Regibus, nonnihil recreata, & diuerſis conſtructis collegijs fuerit reſtituta: neutra tamen harum Academiarum ante imperij Normannici tempora ſplendorem ſuum recuperare, & vera, tuta, tranquillaq; pace frui potuit. Ab eo autem tempore in ijs tantoperè reuiuiſcere literarum ſtudia cæperunt; tantuſq; ex omni parte ad eas ſemper, tanquam ad virtutis & doctrinę celeberima emporia, concurſus factus eſt, vt tempore Edouardi

Ante quingentos annos.

An. 1273 uardi Primi (quod literis conſignatum reliquit Armachanus) triginta millia ſtudioſorum Oxoniæ cenſerentur. Quapropter vt explorati quid & certi de iſtarum Academiarum origine ſtatuere, valdè eſt difficile; ita omni caret dubitatione, & ortu eas eſſe longè antiquiſſimas, & gloria florentiſſimas etiam extitiſſe. Etenim grauiſſimo Cæſaris teſtimonio teſtatum habemus, multò ante ſua tempora præclaram Druidum diſciplinam in Britannia repertam, in Gallias fuiſſe translatam. Habemus etiam communi hiſtoricorum voce confirmatum, An. 790. Carolum Magnum, quo tempore Academias Pariſienſem, Papienſemq; conſtitueritAnglis præcipuè autoribus, doctoribuſq; fuiſſe vſum. Præterea extare dicitur Honorij Primi Pontificis reſcriptum, datum Romæ anno 624. quo ſe literis operam Cantabrigiæ dediſſe fateatur, ægreq; ferre, quod tunc à Paganis vexaretur: hocq; Honorij reſcriptum Sergium Primum, & Eugenium Quartum iterum comprobaſſe. Deniq; habet

De bello Gallico.

habet

bet Alexander Necham, in lib. 2. de Natura rerum, hæc verba, Iuxta vaticinium Merlini viguit ad vada boum, (ideſt, Oxoniam) ſapientia ſuo tempore ad Hiberniæ partes tranſitura. Pro coronide ergò ſint illa, quæ in libro Procuratorũ Oxonienſis hiſtoriæ initio habentur; Conteſtantibus pleriſq; chronicis, multa loca per orbis climata varijs temporibus variarum ſcientiarum ſtudijs floruiſſe leguntur: omnibus tamen inter latinos extãtibus ſtudijs Vniuerſitas Oxonienſis fundatione prior, quadam ſcientiarum pluralitate generalior, in veritatis catholicæ profeſſione firmior, & priuilegiorum multiplicitate præſtantior inuenitur. *Merlinus vixit an. Domini 460.*

Vrbs autem Oxonia, Anglorum hiſtoricorum teſtimonio Callena, ac Belliſita, ob ſitus amœnitatem antiquitùs denominata, in meditullio ferè Angliæ, quadrageſimo ſeptimo à Londino lapide, introrsùs poſita eſt; eo ſolo, cæloque, vt, ſi acceſſionis vndiq; facilitatem ſpectes, commodiſſimam; ſi natu-

ram amœniſſimam; ſi aeris bonitatem ſaluberimam dicas. Nam in æquabili & plano explicata loco, niſi quod ab vna parte leuiter parùmq; deſcendat, ſiluoſis collibus hinc inde cingitur, neq; his lõgo interuallo diſiunctis. Radices enim horũ extremas atq; ipſam vrbem interfluunt fluuij duo, Cheruellus ab ortu, ab occaſu Iſis. atq; hic quidem, poſtquã aquarum ſuarum diuortijs plures eaſque amœnas inſulas effecerit cum Cheruello ſtatim ſub ipſa vrbe, quà meridiem ſpectat, in vnum confluit: ſicq; conſociatis aquis non multa emetitur milliaria, antequàm Tamam flumen obuiam habẽs, cum eaq; nomen perindè atque aquas communicans, Tamiſim efficiat amnem; vix alteri Europę flumini ſecundum. Reliquis verò vrbis partibus, ex parte orientem, ſed maximè aquilonem ſpectantibus, planicies campeſtres obijciuntur, ea iucũditate vbertateq;, vt abundè & facilè omnia ſubminiſtrent, quæ vel ad exercitationem corporis vſumq; neceſſarium, vel ad honeſtam animorum

volup-

voluptatem,relaxationemq; pertineant. Nam & aër ſalubris, & ſolum fertile, & piſcoſi fluuij, & colles ſiluis ſaltubuſque ſepti, deniq; planities pratis, aruis, paſcuiſq; exculta, totam hanc regionem ita exornant, boniſq; omnibus cumulant; vt non tantùm frugibus, carne, piſcibuſq;, abundet; ſed etiam cæterorum omnium animantium, quæ ad cibũ apta, aucupio ac venatione capi ſolent, copiã ſuppeditet, & abundantiam.

Habet Oxonia ſuas immunitates, & priuilegia antiqua & ampliſſima à multorum Angliæ Regum indulgentia profecta, & ſummorum Pontificum autoritate corroborata. Habet ſcholas publicas multas ac varias, loco quidem commodiſſimo, & à reliquis ædificijs muro, & lata via vnica diſtinctas ac ſecluſas. Habet auguſtiſſimum theologiæ deſtinatum gymnaſium, à bono illo Humfredo Gloceſtriæ Duce conſtructum ea magnificentia elegantiaq;, vt opus verè regium, tantaq; Academia digniſſimum meritò cenſeatur. Etenim ædificium eſt

Priuilegia. *Scholæ.* *Gymnaſiũ theologicum.*

peramplum, è ſaxo quadrato totum, diligenti Symmetria magnoq; artificio elaboratum intra & extrinſecùs, in altitudinem inſignem, ſed planam, exiens: circùm, circà turribus, pinnis, varioque paſſim erecto lapideo opere pyramidato inſtructum & ornatum. Inferior eius pars theologicis prælectionibus, publiciſq; exercitationibus literarijs aſſignatur: locus verò ſuperior bibliothecæ publicæ erat conſtitutus, multiq; in ea conditi præclari, nec vulgares libri: quos in vnoquoque literarum, linguarumque genere ex Italia, alijſq; locis perquiſitos, Dux ille optimus magnis impenſis coaceruauerat. pulcherrimum certè non ſolùm fundatoris gloriæ monumentum, ſed æternum Academiæ ornamentum futurum; niſi hæreticorum quorundam mirifica improbitas ad extremum illius bibliothecæ exitium cum intolerabili iniuria exarſiſſet. Nam cùm impietatis illi, atq; in ſcripturis deprauandis falſitatis ſuæ probè ſibi conſcij, nihil metuebant ac deteſtabantur magis, quàm publicas

blicas

blicas eiuſmodi bibliothecas, in quibus veterum omnium Patrum antiquiſſima illa & incorrupta volumina fideliter ac religiosè conſeruantur, vtpote quæ ab hominibus conſuli peruolutarique nequeant, quin mendaciorum ſuorum fraudes, & nouæ doctrinæ portenta grauiſſimis certiſsimiſq; teſtimonijs manifeſtò conuicant: non priùs ſanè in Angliam, hancq; Academiam inuaſerunt, quàm ſui furoris atque inſaniæ impetum in nobilem iſtam bibliothecam intulerunt, &, nonnullis eius libris ſurreptis & compilatis, reliquos omnes vno incēdio, & quaſi cōmuni elatos funere concremarunt. *Hæretici vt veritatis, ſic antiquitatis inimici.*

Percenſentur Oxoniæ Collegia ſexdecim ſtructuræ ſpecie magnifica, ſoliditate ęterna. Nam qui primi eorum iecerunt fundamenta, non in eo ſolùm laborarunt, vt muros lapideos, quos vetuſtas conficit, ſuis collegijs excitarent, ſed maiori ſtudio præcauerunt, vt quibus locum eſſe in ijs voluerunt, his neceſſaria omnia ad victum, cultum, ſtudiorumq; rationē eſſent parata. ſic enim *Collegia 16.*

habebant perſuaſum, quando hæc omnia ſuppeterent, nunquam defuturos, qui ſuorum collegiorum dignitatẽ tuerentur, & diſciplinam inſtitutaque ſeruarent. Collegiorum nomina hæc ſunt.

Primum autem (vt ab eorum, quę extant, antiquiſsimo inchoemus) eſt illud quod appellant Vniuerſitatis; ab Alfredo Rege, (quem literas Oxonia exulantes, longo interuallo in patriam reduxiſſe diximus) inſtitutum, & à Gulielmo Dunelmenſi Archiacono perfectum an. Chriſti náti. 893.

Collegiũ vniuerſitatis.

Deinde Balioleſe; cuius author Ioannes Baliolus Rex Scotię an. 1273.

Balioleſe.

Mertonenſe, à Mertone Epiſcopo Roffenſe extructum. an. 1276.

Mertonenſe.

Exonienſe, quod, à Stapledono, Epiſcopo Exonienſi, ſub anno Chriſti 1322 muſis deſtinatum, poſteà auxit Gulielmus Piter Eques, Conſilijq; Regij Secretarius, beneficia ab eodem à prima accepta adoleſcentia grata memoria proſequens.

Exoniẽſe.

Oriolenſe, quod Adamum Brunum, Edo-

Oriolenſe

Edouardo Regi 2. ab eleemoſynis ædificatorem, anno 1323. & Alanum Cardinalem alumnum habuit.

Collegium Reginę, Philippa Regina vxor Edouardi Tertij exædificauit, dotauitq; anno 1340. *Reginæ.*

Vuichamus Epiſcopus Vuintonienſis Collegium Nouum quod dicitur, monumentum inſigne ad ſui nominis memoriam ſempiternam condidit. anno 1375. *Nouum.*

Lincolnienſe, per Richardum Flemming Epiſcopum Lincolnienſem à fundamentis excitatum eſt an. 1430. *Lĩcolniẽſe*

Chicheleius, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Omnium Animarum memoriæ Collegium fundauit, conſecrauitq; an. 1437. *Animarũ omnium.*

Sanctæ Mariæ Magdalenæ Collegiũ, opere magnificum, & ad vitæ ſtudiorũq; commoditatem aptiſsimum, Gulielmum Vuainfletum Vuintonienſem Epiſcopum patronum veneratur. anno. 1459. *S: Mariæ Magdal.*

Gulielmus ſmith, Lincolnienſis Epi-

Aenei Na ſcopus, Collegium vnum, quod Aenei Naſi: Richardus etiam Foxius, Epiſcopus Vuintonienſis, alterum, quod Cor-
Corporis Chriſti. poris Chriſti nomine inſigniuit, fundarunt, optimaque diſciplina inſtitutiſq; formarunt. Illud quidem, an. 1515. hoc verò, an. 1516.

Aedes Chriſti. Vuolſeus Cardinalis Aedem Chriſti, amplißimum ſanè omniumque auguſtißimum Collegium, inchoauit an. 1539. quod poſtea Henricus Rex Octauus magnis redditibus auxit, locupletauitque anno 1547.

Thomas Popus, & Thomas Vuitus Equeſtris ordinis viri, ille Dunelmenſe, hic D. Bernardi olim Collegia, at ætatis ac temporis vitio deformata ruiniſq; oppreſa, noſtra memoria ædificijs inſtaurarunt, prouentibuſq; amplificarũt: atq;
Trinitas. vt illud Sanctißimæ Trinitatis, ſic hoc Beati Ioannis Baptiſtæ nominibus diſtin-
Ioann. Baptiſta. xerunt, illuſtrarunt an. 1556.

Illud omnium nouißimum Collegiũ
Ieſus. eſt, cui Hugo Pricius I. V. Doctor, dum ſenex admodum an. Chriſti 1572. pri-

ma

ma illius iecit fundamenta, Ieſus ſaluatoris nomen, vt bonis ſanè auſpicijs, ſic caſu quodam non infaceto impoſuit. Nam vt primum murorum frontem ad ipſius portæ altitudinem excitaſſet, curauit lapide, qui portæ imminebat, hos verſus incidi,

Struxit Hugo Pricius tibi clara Palatia Ieſu,
Vt doctor legum pectora docta daret.

Quos cùm vir quidam non illepidi ingenij tranſiens forte perlegiſſet, atq; Pricij illius exactam iam ętatem, ſimul & operis, vix dum inchoati, magnitudinē animo expendiſſet, aliud ſtatim tale diſtichon illi diſticho oppoſuit; quo prępproperam ſenis in titulo præfigendo feſtinationem feſtiuè ſatis redarguebat.

Nondum ſtruxit Hugo, vix fundamenta locauit:
Det Deus vt poſſis dicere, ſtruxit Hugo.

vnum-

Vnumquoq; igitur horum Collegiorum bibliothecis inſtructum, vectigalibuſq; munitum certum ſtudentium numerum alit honorificè; eumq; adeo copioſum, vt tria aut ampliùs millia conficiant.

Ordines tres ſtudẽtium. Hos in tres ordines ſchola illa diſtinguit, magiſtros, Baccalaureos, Diſcipulos. Ordines iſtos confundi inter ſe piaculi inſtar habetur. Vnde fit, vt neque magiſtri temerè Baccalaureis adniſceantur, neque Baccalaurei ad Diſcipulos ſe dimittant; multò minùs Diſcipuli omnium infimi audeant ſe ſuperioribus adæquare. His autem ſolis ne collegio quidem exire, niſi adſcito ſocio, permittitur. Atque hinc naſcitur cùm horum ordinum inter ſe harmonia quædam non iniucunda, tũ omnium erga Præfectos reuerentia ſumma. verùm non tantùm gradus, ſed etiam veſtitus hos ſecernit. Nam vt omnes pileo quadrato vtuntur, & illa,pacis otijq; veſte, toga laxiori aut plana, aut criſpulis in ſinum contracta; ſic togas illas diſtinctæ

perſonarum conditiones peculiari diſtin gunt nota, qua non ſolùm in ſcholis, & diſputationibus, quæ proprium ſibi veſtium genus pro gradus cuiuſq; ratione poſtulant, ſed alibi extra oſtium limenq; collegiij internoſcantur. Quin etiam horum collegiorũ leges & inſtituta qui rectè nouerit, ac non modò ordinem in his diſciplinamq;, ſed etiam ſtudentium modeſtiam, taciturnitatem, obedientiã, ſummamq; ad omnia præclara ſtudia animorum contentionem alacritatemq; diligentiùs perpenderit; ita horum omniũ rationem probabit, vt non poterit non laudare illius viri doctiſſimi ſententiam, *Eraſm.* qui, tota eorum ratione perſpecta & cognita, adeò motus eſt admiratione & amore, vt præclarum hoc iudicij ſui teſtimonium literis conſignatum reliquerit; Oxonienſis Academiæ collegia propiùs ad religioſorum monachorumque optimè ordinata cœnobia, quàm ad iuuenum & adoleſcentulorũ in vnas ædes congregatorum conuentus accedere.

Sexdecim collegijs iſtis adduntur

alia &

Ia octo. alia octo, Aulas communiter nominant, diuitum nobiliumque plerumque filijs, qui proprijs viuunt ſumptibus, aſſignata: quamuis & reliqua etiam collegia ipſa, extra eos, quos nutriunt, alumnos, recipere poſſunt & ſolēt magno numero adoleſcentes nobiles, & qui volunt inſumere quod in proprios ſumptus eſt opus; ſed ea lege, vt ſuorum alumnorum præſidio periculoq; viuant. Et ſunt iſtæ, Aula Alba, Ceruina, Alborenſis, Brodgates, Item Sanctorum Mariæ, (cui præerat olim Card. Alanus) Edmundi, Magdalenæ, denique Gloceſtrenſis, quę quondam fuerat Monachorum ſancti Benedicti Collegium. Aulæ autem hæ ſingulæ à ſingulis ferè collegijs pendent, & ad earum exemplum ſe planè comparant: in eo ſolùm diſſimiles, quòd hæ, quàm illa, legibus diſciplinæ laxioribus paulò liberioribuſq; teneantur. Iſtud verò commune omnibus, quòd, quà intermiſſa ædificia, prælto muro cincta, portas ſuas vna eademq; hora claudant ſemper & aperiant. Nam hye-

me

me veſperi hora à meridie octaua, æſtate nona, ſigno antè maximæ campanæ (vt ab omnibus longè lateq; audiri poſſit) pulſu edito, occluduntur; nec ante horam poſt mediam noctem quintam reſerantur. hoc interiecto interuallo, ſi quis ſcholaſticorum extra ſui collegij limen a Procuratore deprehendatur, vix vllam excuſationem adeò legitimam poterit afferre,quæ eũ ex carcere eximat, & Procuratoris manibus liberet.

Ad Academiam non accedunt, niſi qui in gymnaſijs,ſcholiſque publicis per omnes Angliç prouincias,immò oppida fermè,diſſeminatis (inter quas habentur inſigniores Vuintonienſis, Etonenſis, Dunelmenſis, Londinenſis) grammaticæ, poeticæ, latinæque linguæ præcepta imbiberint. Admiſſi verò & in Diſcipulorũ claſſem adſcripti hoc modo exerceri ſolent. Conſurgitur generatim in Collegijs omnibusprimo diluculo,ideſt, hora à media nocte quinta. mox congregati in æde ſacra ſtatum tempus precationi dant, primam potiſſimamq; diei *Exercitationes diſcipulorũ.*

partem

partem Deo conſecrantes: deinde reliquos diei labores in rem literariam ſeriò inſumunt. Nam præter Regios & publicos omnis ſcientiæ, Græcæ etiam, & Hebraicæ linguæ profeſſores, vnũquodque collegium ſuos habet priuatos Doctores; qui Ariſtotelis methodum veſtigiaq; perſequentes, partim Logicam, cæteraſq; Philoſophiæ partes exactè interpretantur, partim eloquentiæ rectèq; dicendi præceptis tradendis, oratoriam loquendi vim & ornamenta adhibent, & abſoluunt. Copulant namq; cum ſcientia eloquentiam, vt quemadmodum eloquentiæ floribus ſcientię fructus prępon derant; ſic indiſerta rationis barbaries orationis elegantia perpolitatur. Fuit enim illud prudens maiorum inſtitutum, vt quas artes natura, ratio, vſuſq; communis coniunxerant, eas ipſi tractatione non diſiungerent, ſed in vtraque pariter iuuentutem exercerent: vt hoc modo, cùm via illis ſemper adeſſet, qua doctè, prudenter, acutè cogitarent, tum ratio illis nunquam deeſſet, (quando-

cumq;

cumq; ſuum animum ad dicendum ſcribendumne applicuiſſent) qua excogitata ſapiêter proferre, ornatéque & copioſè eloqui poſſent.

Hoc modo biennium continuum intra priuatos collegiorum parietes exercitati adoleſcentes, tum primùm exeunt in arenam & puluerem, poſtquam in Academiæ ſpatijs ſuarum virium facto ſemel periculo ad publica certamina admittuntur, & Generalium Sophiſtarum nomine cenſentur. *Generales*

Deindè verò cùm huic biennio aliud quoq; biennium acceſſerit; ijdemq; perpetuò eiſdem dicendi, diſputandiq; exercitationibus domi foriſq;, cum ſuis & alienis aſſuefacti, omnibus non vulgare ſpecimen ingenij doctrinęq; ſuæ dederint; Baccalaurei artium (conſenſu de more primùm à Magiſtris ſui collegij, deinde à reliquis aliorum priuatim & ſuppliciter, pręeunte Bidello, petito & obtēto, Gratiam ſchola illa vocat) cōmuni & honorifico omnium, ad id vnum in locū cōgregatorum, teſtimonio renunciantur. *Baccalaurei. Hos Battalarios vocat Ludou Viues, à verbo gallico, Batalla.*

Horum

Horum eſt, ſtatis vicibus per ſequentis quadrageſimæ curſum quęſtiones Logicas ac Philoſophicas ponere, eaſq; in ſcholis publicis contra quoſcumq; oppugnatores, nullo auxiliante, à ſuperiori loco defendere. terribile hoc quidem theatrum eſt reſpondenti. Stat enim vnus contra vniuerſos, nôuus contra veteranos, diſcipulus contra magiſtros: qui tamen, niſi ita ſe gerat, vt fama ſua non hęreat ad metas, non ſibi modò, ſed & collegio, vnde eſt, turpem inurit notam. cuius rei tanta ſolet haberi ratio, vt in quibuſdam collegijs ſtatuto firmatum reperiatur, eum, qui reſpondendo publicè collegij ſui auctoritatem nomenque minuerit, confeſtim collegio eſse expellendum. quod eſt ſummi inter eos ſupplicij genus.

Triennium in Baccalaureatu qui ſteterit laudabiliter, ac conſueta certamina per interpoſita interualla obierit feliciter (incumbit enim illi priuatim ſępiùs declamare, ac moderante Magiſtro, theſes ex vniuerſa Philoſophia deſumptas

ptas bis ſingulis hebdomadis vel tueri, vel impugnare; publicè verò volumen aliquod Ariſtotelis, breuiter & curſim explanare; In Quodlibet, ſic dicunt, diſputationibus ſemel & iterum ſui periculum facere; tandem in circulis Auguſtinianis, quos nominant, aliquot horarum diſputationes pomeridianas ad D. Mariæ iterùm & tertiò habere) in huius exitu, ſolemni Actu, quo nihil habet terrarum orbis in eo genere aut ritu ſolemnius, aut ad ſpeciem pulchrius, Magiſtri artium Laurea, doctrinęq; inſignibus decoratur.

In Comitijs enim (ſic ad imitationem Romanam vocant) Magiſtri, & Doctores anniuerſario ritu, ipſis Idibus Iulij, fabricato ad hoc in D. Marię theatro magnifico & maximo, creari ſolent. Huius ſpectaculi celebritas tanta eſt, vt ad id quotannis viſendum ex omnibus regni partibus eò confluant ſummi, medij, infimi extra numerum. Per biduum autem celebratur, habenturq; in eo orationes plurimę ornatu oratorio, & omni ora- *Comotia.*

tionis flore expolitę: concertationes varię multiplici eruditione ſcientiaq; refertę: quidquid eſt enim in Philoſophis, Medicis, Iuriſconſultis, Theologis neruorum & eloquentiæ, hic totum effertur atq; expanditur. adeo vt ritè ſuoq; momento ponderans, tum actionis huiuſce dignitatem, tum conuentus frequentiã; præterea varietatem exercitationum, ſubtilitatem doctrinæ, linguæq; elegantiam; poſtremò eorum, in quos laureola confertur meritum ac numerum, non inuitè fortè fatebitur, verè tantam eſſe huiuſce Actionis dignitatem, vt vix quidquam in hoc genere ſplendidius eſſe poſſit, aut magnificentius. Emittit autem quotannis in lucẽ hæc alma ſtudiorum mater plus minus centum ſeptuaginta artium Baccalaureos, Magiſtros centum, Doctores theologiæ quindecim, parem itidem Iuriſprudentiæ, ac Medicinæ numerum. viros pleroſq; omnes nõ eo tantùm honore dignos, quo augentur, ſed ad quos difficilima quæque in rep. numera tutò deferantur. Sic enim

hæc Acamia ſuos cudit & effingit;ſic eorum ingenia acuit & excitat,ſic;quod in animo latitat neruorum ac roboris, elicit & perficit; vt, qui non eſt plumbeus, aut planè ſtipes, hunc non minùs vmbræ & ſcholæ aptum, quàm ſoli & foro habilem dignumq; præſtet,probetq;. Neq; hoc Angliæ Regibus obſcurum vnquam fuit; qui ex his ſemper eligere, pro ſua prudentia, conſueuere, non ſolùm Páſtores, quos Eccleſijs præficerent; Legatoſque,quos ad exteros Principes de rebus maximis mitterent:ſed etiam Cõſiliarios, quos aſciſcerent ſibi, & Magiſtratus quos ad reip. admouerent gubernacula.

Attigimus Academiæ ſitum,antiquitatem, collegia,ſtudia: nunc præcipuos eiuſdem magiſtratus percurramus.

Magiſtratus publici, quiq; totius gubernationis pondus ſuſtinent,multi ſunt ac varij. Horum primus & ſummus eſt Procancellarius: Oxonienſes nomen Commiſſarij ei indiderunt. Nam Cancellarius ipſe vel ex Regio Senatu, qui *Magiſtratus Oxonienſis.* *Procancellarius.*

autoritate apud omnes, vel ex præcipua nobilitate, qui gratia valet apud Principem; ſolet aſſumi; vt eo nomine honorem, priuilegia, maieſtatem Academiæ tueri faciliùs ac protegere valeat. Procãcellarius igitur præſens ſemper ex his doctoribus elegitur, qui collegijs præſunt; atq; omnium colitur obſeruantia ſingulari. Is enim ciuitati legem dicit, habetq; poteſtatem animaduertendi in in omnes non ſolùm ſcholaſticos, ſed etiam ciues; quorum Prætor, qui anglicè Maior dicitur, quotannis ipſo ſuæ creationis die (non enim vltra annum magiſtratus eius durat) ad eum accedẽs, fidem ſuam Academiæ, veteri inſtituto, aſtringit iureiurando; ſeſeq; ac ſuos in Procancellarij poteſtate futuros ſpondet. Viſitat ergo Procancellarius (quoties ratio reip. id exigit) die noctuq; non modò ſtudioſorũ cubicula, ſed ciuium domos; & pari iure in cunctos delinquẽtes animaduertit. Congregationes, Cõuocationeſq; cogit, in ijſq; preſidet. deniq; in ſummi honoris imperijq; inſigne

ſex

ſex Bedellos habet conſtitutos, qui eius mandata exequantur; ipſumq; in publicum prodeuntem aperto capite antecedant, ſuaſq; clauas, faſceſue præferant.

Huic proximè accedunt Procuratores Academiæ duo: qui ex eorum numero, qui Magiſtrorum gradum adepti ſunt, ad hoc munus aſſumpti, parem omninò locum, & indiuiduam obtinent poteſtatem. Hi Academicos in officio, oppidanos in obſequio continent. die præuident, ne quid contra ius faſq; fiat: nocte obeunt plateas, & cincti milite petulantiam tenent intra ædes, & lineam. Errones & pellices luſtris extrahunt, ſupplicijs vexant, ex vrbe emittunt. Ad hos ſpectat accedentes ad Academiam Principes viros, quoſq; nobilitas dignitaſq; cōmēdat, tecto conuiuioq; accipere publico sūptu ac nomine: etiā in Principis aula Academię negotia tractare. vnde ſenatoribus, cęteriſq; dignitate pręſtā tibus viris noti illi ſemper & gratioſi, niſi nullius cerebri ſint, certiſſimum iaciūt futuri honoris ſui fundamentum.

Procuratores.

Commendat.

Orator. Sequitur flos populi delibatus, Academię Orator. Eius eſt, ordine ſuorum coronæ ſimilitudine quaſi circumuallati, aduentus legatorum, Illuſtriumque perſonarum publica oratione gratulari: literarum, quæ totius Academiæ nomine dari, recipiq; ſolent, curam habere pręcipuam.

Magiſtri ſcholarũ. Addũtur his ſcholarum Magiſtri, qui diſputationibus publicis in ſcholis moderantur, rixiſq; modũ adhibent; deniq; ne quid aut fiat turbulenter, aut dicatur procaciùs, curant diligenter.

Clerici fori. Hos conſequuntur alij duo, quibus Clericis fori nomina impoſuerunt; alter à Procancellario, alter à Procuratoribus huic muneri præpoſitus. Iſtorum oculus viris fæminiſq; nundinarijs formidabilis eſt. rerum enim omnium, quæ pondere ac menſura veneunt, rationem poſcunt; videntq; ne quid Academia, in his præſertim, quę ad victum pertinent, ſiue in officinis, ſiue in foro, capiat detrimenti. horum officium, quemadmodum & Procuratorum anno terminatur;

alio-

aliorum verò, vt perpetua officia non ſunt, ita neque certo termine circumſcribuntur.

Reſtant, (vt faſtidio parcens taceam reliquos) Bidelli, ſiue Lictores ſex, quorum tres aureas, alij tres argenteas ferunt clauas. Omnes quidem ratione officij in Nobilium ordinem ſingulari Regum Angliæ beneficio aſcripti, illi tamen his dignitate priores. Horum munus eſt Baccalaureos, Magiſtroſque creandos educere, creatos reducere: quoties cogenda vniuerſitas voce per Collegia antè pronunciare: denique vt exeuntem Procancellarium omnes; ſic doctores ſingulos eccleſiam, ſcholaſue adeuntes, ſingulos anteire. *Belli ſeu Clauarij ſex.*

Curiæ duę ſunt. minor, quæ Congregatio dicitur. In eam mane omnes Iuniores, ideſt, illius anni Magiſtri, campanæ pulſu congregantur. hi namque, eò quòd Regēdi onus illo anno ſibi pręcipuè incumbit, Magiſtrorum Regentiū nomen inuenerunt. In iſta Congregatione, præter leuiora quædam negotia, *Curiadu[æ] Congregatio.*

de purgandis vrbis plateis & ſimilia (de quibus neglectis mulctā ſuo arbitrio Regentes indicunt) de conferendis honoribus præmijſq; ſcholaſticis potiſſimè tractatur. neque enim hæc leuiter, & in quoſcunque petentes conijciuntur. nam etiamſi quis omnibus à conſuetudine ſcholæ requiſitis exercitationibus fuerit perfunctus, legitimūq; ſuorū ſtudiorū tēpus adimpleuerit, niſi tamen nonnullorum Magiſtrorū ſuffragationes habeat; quorum alij ſe ſcire, alij ſe credere religioſè affirment, eum eſſe dignum, in quem laureola ſcholæ meritò cōferatur, ſciat ſe fruſtrà petendo cōtēdere, & operam famamq; ſimul profundere.

nuoca- Altera Curia eſt Maior, eique nomen Conuocatio. Etenim in hanc conueniunt Academię Doctores, & Magiſtri omnes, moniti campanæ ſono, ſed prænunciantibus Bidellis; qui in collegiorum atrijs Conuocationem denunciant, his ipſis verbis ter repetitis, Ad Conuocationem omnes Doctores, Magiſtri Regentes, & non Regentes poſt pulſatio-

nem paruæ campanæ, hora &c. per fidẽ, per fidem. In hoc conuentu Procuratores in annos ſingulos ſolemniſſima cęrimonia, multiſq; ambagibus eliguntur: officia, dona, ſacerdotia diſpenſantur: legationes, literæ audiuntur: poſtremò omnia maioris momenti negotia, Procancellario pręſente ac præſidente, tranſiguntur.

Supereſt intueamur, ſi quos viros Anglicę Academię mundo produxerint, hi tales tantiq; fuerint, vt noſtram, quam initio poſuimus, aſſertionem tueantur. certius quippe nullum eſt agri optimi argumentum, quàm frugum ex eo naſcentium vbertas & pręſtantia. Ex hac igitur ſchola, poſtquam Chriſtum calere & profiteri cęperat (vt, veteribus pretermiſſis ſęculis, propiora tantùm nobis attingamus) clariſſima & infinita chriſtianæ philoſophiæ lumina longa, eaq; continuata ſerie prodierunt. quæ omnia in hunc locum congerere vt immenſi laboris, multiq; tædij eſſet, ſic paucula ex eis delibare, tum non inutilis, tum *Fætus Oxoniensis.*

mihi, ad dicto fidem faciendam; neceſſarij penè laboris eſſe videtur. Itaque cùm Auguſtinus Monachus Romæ inſtructus, Roma miſſus, Euangelium Chriſti in inculto & derelicto Angliæ ſolo, idolorum veſtigijs iterum conculcatis, ante mille annos inſeuiſſet; crebri adeò & abundantes in eo ſtatim ſunt nati præclariſſimorũ ingeniorũ fructus; vt quàm altas radices Chriſti ſemẽ in eo ſparſum egiſſet, repentè teſtatum orbi terrarum apparuerit. Vix enim ab Auguſtini in Angliam appulſu exierant quinquaginta anni; cùm plurimi Angli fide, zelo, doctrina pleni, haud ſatis ſibi putarint eſſe, Chriſtum profiteri, niſi eundem etiã alios verbo, ſcripto, facto docerent. Dũ igitur alij ſe domi ad docendum, ſcribendumq; conferunt, alij ad Germanos, Gothos, Sueuos, Danos ea cauſa ſe transferunt, vt Chriſti nomen in illas gentes inferentes, vel eas, felici cõſilio, ad Chriſtum amplectendum propellerent; vel ab eis ipſimet inſigni martyrio pro Chriſto afficerentur.

[Au]guſtin' [M]onach' [An]glorũ [A]poſtolus

Angli

Angli fuerunt Bertuinus & Vuille- *Prædicatores ante Chriſti*
brordus; quorum ille Belgis; hic cum
duodecim ſocijs, Chriſti veſtigijs inſiſ- 690.
tens, Chriſti fidem Gallis annunciauit.

Anglus fuit Bonifacius, Moguntinus 720.
apud Germanos Arciepiſcopus, qui
poſt præclaram in predicatione Euangelij nauatam operam, & centum Germanorum millia ad fidem conuerſa; vt planè teſtatur Gregorius Papa iij. in epiſt. quæ incipit, Doctor gentium; à Friſonibus, dum in eorum ſalutem conuerſionemq; incumberet, cũ ſocijs quinquaginta tribus interemptus eſt.

Vuillebaldus & Burchardus Angli, 751.
Regiæq; ſtirpis iuuenes fuere. Iſte Herbipolenſi, ille Eyſtenſi in Germania Eccleſijs, poſt multos fidei cauſa exantlatos labores, à Bonifacio præpoſiti; multa egregia virtutum, doctrinæ, piorumque ſudorum exempla populis ſuis reliquerunt.

Anglus ſanctus Herbertus, qui Scotos à ſchyſmate reuocauit.

Anglus Sygfredus Eboracenſis Ar-

chiepiſcopus, qui ampliſſima illa ſede, ſoloq; patrio relictis, vt Gothis, Suecis, Danis Chriſtianę fidei ſacramenta miniſtraret, eorum Apoſtolus vocari meruerit.

Hi cum multis alijs in fide propaganda laborarunt: Alij non minorem operam in eiuſdem fidei myſterijs enunciandis illuſtrãdiſq; poſuerunt.

Doctores. Nicolaus de Lyra totum corpus biblicum, vetus nouumq; teſtamentum, commentarijs dilucidauit.

Adamanni & Benedicti Abbatum leguntur præter alia, illius de locis ſanctis; huius de regularum concordia tractationes non contemnendæ.

Ceolphedus, vel ea re clarus inprimis eſt, quòd ſuæ diſciplinę alumnum Bedam illum reliquerit; cuius doctrinæ ſanctitatiſq; præſtantiam tantopere veneratus eſt chriſtianus orbis, vt vni illi, dum adhuc viueret, venerabilis agnomen omnium conſenſus detulerit.

Beda venerabilis obijt an. 735.

Latin. in italoam. i.

Fratres habuit Beda Strabonem & Hay-

Haymonem viros doctiſſimos, quorum alter plurimas homilias eleganti ſermone compoſuit; alter Geneſim pulchrè commentatus eſt.

Alcuinus Bedæ diſcipulus, Caroli Magni præceptor fuit, tantæq; apud eundem authoritatis, vt, eo alijſq; quibuſdam Anglis impulſoribus, Academias, Pariſienſem, Papienſemq; inſtituerit. Hic bonarum omnium, ac pręcipuè diuinarum artium, antiſtes multa poſt ſe opera præclarè conſcripta reliquit. an. 1200

Stefanus Anglicus, gymnaſij Pariſienſis quondam Rector ac decus, perfectus fuit Philoſophus, atq; in Theologia ita verſatus; vt, eo primùm docente & viam præmonſtrante, ſacrarum literarum ſententia ab recondito illo & myſtico ſenſu ad popularem rationem, moreſque hominum confirmandos tranſlata ſit.

Haymo inſignis theologus, Alexādri Quarti iuſſu Romanum breuiariũ correxit, & in formam meliorem reduxit.

Alexander Halenſis, S. Bonauentu- 1240

rę magiſter ; ſcholaſtico more primus thæologiam tradidit: eam docendi viā aperiens, quam, à Scoto & D. Thoma poſtea tritam, doctiſſimi quiq; in ſcholis ſunt amplexati. vir tanta innocentia & eruditione, vt à ſuæ ætatis hominibus vitę fons, & Doctor irrefragabilis appellari meruerit.

235. Robertus Epũs Lincolnienſis, vir latinæ gręcæq; linguæ peritiſsimus, theologorum philoſophorumq; ſui temporis anteſignanus, foris ſpectabilis, domi præſtantior, in Pontificio munere obeundo induſtrius, & experientiſſimus.

290. Ricchardus de Media Villa diuinis humaniſque literis apprimè excultus; Pontificij iuris ſcientiſsimus; in paucis numerandus.

Gualterus Deſſeus, à Bonifacio Papa ſæpè legatus, & Ioannes Iacephalus, Concionatores celebres, ſummiq; theologi ſunt habiti.

Celebre nomen Baconum eſt: quorum Ioannes theologorum ſuę ætatis facile princeps, viginti ſeptem libris teſta-

men-

mentum nouum illuſtrauit: alter, eius frater Rogerus in philoſophia, mathematiciſq; nemini ceſſit.

Vualdenſis, vir abundanti doctrina: Morenus plurimo zelo & ſcientia: nonnulli etiam alij contra Huſsitas & Vuiclefitas, illius ſæculi hęreſiarchas, ſcripſerunt ægregiè.

Occham, Scotus, ſectarum Principes: Gallenſis, arbor vitę nuncupatus: Sertorius, alias Fontenerius Cardinalis, & Rauennæ Præſul: Saliſburienſis Adriani Quarti à ſecretis: Bartholomeus, qui ſcripſit de proprietatibus rerũ: Calculator: Gilbertus Monachus: Ioannes de Sacro boſco: Verſouius: Burleus: Holcottus: Ioannes Canonicus: omnes ſcriptores inſignes, Anglicarum Academiarũ, Oxoniæque inprimis, ciues & alumni fuerunt.

Hic facere non poſſum, quin vos Oxonienſes Cantabrigienſeſq; Academicos appellem; veſtram ſcientiam obteſter, conteſter conſcientias. Num quiſquam horum, quos recenſui, viros celeberri- *Admonentur Academici.*

mos

mos planeq; diuinos de hac, quam vos nunc ſequimini, ſecta aliquando ſomniauerit? nonne ad vnum omnes illam ipſam religionem fidemq; Romanã, quã traditam ab Auguſtino acceperant, tamquam puriſſimam virginem pari ſtudio à procorum impudentium iniurijs prohibuerint, intactamq; conſeruarint; atq; alias omnes impugnarint, reſpuerint, deteſtati ſint? Et vos talibus ingenijs, talium in re tanta virorũ repudiato conſenſu, neglecta doctrina, ſpreto exemplo, ad quorundam tenebricoſorũ & opinioſiſſimorum inſomnia potiùs, quàm à ratione aliqua profecta iudicia, tanquã ad ſcopulum aliquod adhęrebitis? Expergiſcimini aliquando, mentiſq; veſtræ cogitationes ad veri contemplationem excitate. Intuemini veſtrorum collegiorum fundamenta, conſtitutiones, diſciplinam: num aliud ſonant, aliud ſapiunt, aliud loquuntur, quàm pietatem priſcã, mores antiquos, Romanam fidem? Ponite ante oculos, quoſcunque antecedentia illa quindecim propè ſæcula cum

ntiqui nes Se- Catho i.

hono-

honore & laude viuos perinde ac mortuos celebrarunt; omnes Apoſtolicæ fidei, Petriq; cathedræ addictos reperietis. Conſiderate cum animis veſtris, quanta ſit catholicæ veritatis poteſtas, quæ tot ſæculis, tanta tyrannorum potentia, tanta inſurgentium hæreſum inſolentia neque opprimi vnquam, neque ſupprimi potuit: immò ita ſemper caput extulit, vt eminuerit; ita vegeta ac viuida, Chriſto confirmante, permanſit, vt innumerabiles, eoſque omnium locorum ac temporum præſtantiſſimos viros, ſuos amatores, defenſores, adſtipulatores aſſiduos acerrimoſque inuenerit: neq; ſolùm antiquos iſtos, quos veſtrarum Academiarum flores & robora percurrimus, ſed poſteriores, & huius ſæculi infinitos quamplurimos etiam adoleſcentulos, qui huius veritatis zelo pleni, patrijs commoditatibus veſtriſq; relictis &cademijs, in illa perquirenda alienas terras ſunt peregrinati; Inuentam autem ſic amplexati ſunt, ſic ſecuti; vt, dũ ei obſequẽdo Chriſto ac Petro ſer- *Vis veritatis.*

uiant, nulla incommoda periculaq; defugiant; dum, eam profitendo patriæ proſint ſuorumq; animulis,neq;mortem metuant, neq; vitę ſuæ curam habere videantur. Hanc igitur veritatis lucem tam efficacem,tam illuſtrem, vos, in rebus alijs tam Lynceos, non videre, non auſim certè dicere: videre autem, & in eadem tamē ignoratione tenebriſq; verſari, incertum miſerandum dicam magis, an erubeſcendum eſſe. Legiſtis interdum Polemonem Athenienſem, omnibus delitijs deditum adoleſcentem, cùm è conuiuio rediens domum,vnguentis oblitus, ſertis redemitus, vino onuſtus, Xenocratis fortè domū intrauiſſet, eumq; de modeſtia tunc temperantiaq; diſſerentem audiuiſſet, adeò illius oratione fuiſſe commotum, vt pudentem finem ſuæ impudentiæ in illo ipſo veſtigio impoſuerit; atq; corona abiecta, repreſſaq; petulantia,ad frugē bonum conuerſus, ex perdito profuſoq; nepote maximus euaſerit virtutis cultor atq; magiſter. Et vos non à naturæ ſola,ſed Gra-

Polemon Athenienſ.

Valer. Max.li.7

tiæ etiam lege informati; nec in ganeis, ſed in ſcholis educati; neq; vnum tantum magiſtrum, ſed domeſticos multos tum veteres, tum recentiores, Xenocrate maiores melioreſq; audientes, qui ſuæ fidei doctrinæque firmitatem non modò verbis & profeſſione, ſed vitæ & mortis exẽplo clariſſimo corroborarunt; veſtras aures talium virorum cęleſtibus vocibus clauſas eſſe patiemini? atq; Lutherum neſcio quem, aut Caluinum, horumque ſimiles; omnes ferè omnibus à ſe inuicem diſſidentes; toti chriſtianæ antiquitati; ſuaſq; in fidei cauſa & ſalutis ſectas nouas, voluptarias, cænum merũ redolentes, maiorũ religioni ſacroſanctæ, ſeueræ, ſemperq; catholicæ, ideſt, terram cælo, luci tenebras, puriſſimis caſtiſſimiſque animabus omnium ſcelerum colluuione inquinatiſſimas anteponetis? Non poteſt profectò (niſi me valdè fallo) in pleriſq; veſtrum vel ea imprudentia eſſe, vt huius rei magnitudinem nõ animaduertatis, vel ea inconſiderantia, vt tantum veſtrũ periculum planè negligatis.

Sed

Sed quò vos lõgiùs procella hęc patrię, turbo ac tempeſtas temporis, à recta religionis ſemita abreptos in periculoſiſſima erratione conſtituerit; eò vos impẽſiùs acriùſq; exoptetis, vt pari vobis ac Polemoni gloriæ poſſit cedere, Reſipiſſe aliquando, teſtatumque omnibus facere, non in nequitia habitaſſe veſtros animos, ſed ita peregrinatos eſſe, vt voſmet tã diuturnæ peregrinationis quàm maximè pœniteat. Quod quidem rectę ſanæque mentis deſiderium vt in vobis augeatur & expleatur, queadmodum à Chriſto Ieſu, totius boni verique autore atq; datore, peto precorq;: ita & eundẽ precatus ſum aſſiduè, precaborq; dum viuam, vt has nobiliſſimas Academias, in tetris iam diu tenebris iacentes, ad lucem aſpiciendam tandem reuocet; in priſtinæ pietatis ac religionis ſuæ poſſeſſione collocet; catholicæ deniq; Eccleſiæ, cui prima militiæ ſuæ ſacramenta dederint, & tam multa ſæcula fideliſſimè meruerint, communioni reſtitueat: ne quantum claritatis atq; ſplendoris in illa

Sic liber Procuratorũ, à nobis citatus.

illa ipſa Eccleſia colenda, celebranda, illuſtranda antiquitùs apud omnes comparauerint; tantum ſibi nunc ignominiæ & maculæ in eadem, ſed fruſtrà tamen, oppugnanda contrahant; tùm maiorum autoritatem, tum propriam partam dignitatem indignè & turpiter dedecorantes. Sed vereor, ne ſtudio elatus, longiùs hæc conquerendo ſim prouectus; pertexam igitur telam, quā exorſus ſum, eamq; pauciſſimis confectam dabo.

Antiquorū iſtorū chyliades vel prolixa oratione exequi nunquam poſſem. nam præter ante dictos, alioſq; qui è D. Benedicti diſciplina infiniti fluxerunt; triginta nobiles ſcriptores, & in his quatuor S. R. E. Card. ex D. Dominici ſchola prodijſſe commemorat eius familię ſocius Seraphinus Razzius: neq; certè minor fuerat Auguſtinianorum, Carmelitanorum, ac Franciſcanorum numerus, & fama. Quid ſi recentiores, & noſtri temporis Fiſceros, Moros, Polos, Alanos, Briſtolios, Campianos, reliquos vellem nominare? dies me deficeret; nec finem

vllum

vllum oratio reperiret. ex hoc vno reliqua omnia cognoſci poſſunt. Vnicum Oxoniæ collegium Nouum, nouiſſimis his quadraginta annis, ex ſuo ſinu triginta duos viros præſtātiſſimos emiſiſſe; qui ſinguli vel docendo publicè, vel opere præclaro cōſcribendo fidem ſuam, catholicamq; doctrinā verbo perindè, atq; ipſa re, voluntarioq; exilio tutati ſunt. in his Sanderus, Hardingus, Dormanus, Staplitonus, Rarſtaldus, Harpfeldus, Hidus, Poinetus, Odouenus, Reginaldus, &, qui adhuc in viuis eſt, & multa ſcripſit, ampliuſq; viginti annos in iure profitendo regia Duaco ſtipendia meruit, Richardus Vuitus.

Hæc ſunt quæ de Oxonienſi, & etiam Cantabrigienſi, (ſorores enim ſunt, ſibiq; perſimiles) Academijs, aut ab alijs accipere, aut ipſemet, qui adoleſcens admodum Oxoniam reliqui, diuq; iam ab ea ac longè abſum, memoria retinere potui. nequaquam profectò paria earum amplitudini; pro meis tamē viribus, atq; in eas ſtudio merita ac debitā. Quæ qui

euoluet, idem vellē de ijs cogitet, quod eos, qui Platonis libros lectitabant, de Socrate ſuſpicatos eſſe tradit Cicero: Maius nimirùm quiddam animo expendat, quàm quantum à me tenuiter, ac tam paucis cōprehendi potuit. Sic enim breuitatem, facultatiſq; inopiam excuſabit meam; neq; tamen de earum dignitate, minus quid, quàm æquum eſt, ſibi cogitatione formabit, atq; concipiet. Li. 3. de Oratore

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE